

23.

10  
1766, 2

812  
b

PROGRAMMA  
QVO  
EMANVEL CHRISTOPH  
VON ESSEN

I. V. D. PROF. REG. ET SYND.

LECTIONES SVAS ACADEMICAS SEMESTRES

INDICIT

ATQVE SIMUL

DE

RENOVATIONE CONTRACTVS  
LOCATIONIS ET CONDVCTIONIS

DISSERIT.

---

GYYPHIAE

LITTERIS RÖSENIANIS.




1790  
EMANUEL CHRISTOPH  
VON HESSEN  
LEHRER AN DER  
UNIVERSITÄT ZU GIESSEN  
PHYSIK

115  
4

PHYSIKALISCHE CONTRACTIVE  
LOCATIONS ET CONDUCTIONS  
D'ÉLECTRICITÉ  
D'ÉTHER  
D'ÉLECTRICITÉ





§. 1.

**P**urima negotiorum genera, commerciis atque indigentiae hominum infervientia, eius sunt naturae et indolis, ut, secundum principia rectae rationis, ad sui ipsius perfectionem nihil nisi consensum utriusque paciscentium requirant. Longe aliter senserunt Romani. Hi enim substantiam conventionum, mox in rei, mox in verborum, mox in litterarum, mox in consensus interpositione, constituiebant. Exoriebatur inde diversitas contractuum, *realium, verbalium, litterarum, consensualium.* 1.

1. Variæ illae contractuum species recensentur. *Inst. L. 3. T. 15. 16. 22. 23.*

§. 2.

Ad classem contractuum, in quibus consensus paciscentium mutuus omne fert punctum, referunt contractum locationis et conductionis. 1. Ille denotat *declarationem voluntatis nostrae alteri factae de aliqua re effectui danda.* 2. Hic est *promissio, seu concessio, usus rei vel operae nostrae pro certa mercede.* 3. *ad certum tempus praestandae.* 4. Qui usum rei promittit,

A 2

dici-



dicitur *locator*, alter *paciscentium conductor*, *colonus*, *inquilinus*. In locatione operarum, illas promittens pro certa mercede, vocatur; *mercenarius*, *famulus*, *famulave*.

1. *Inst. L. 3. T. 25. L. 2. D. loc. cond.*
2. KOEHL. *Exercit. J. Nat. VI. §. 1253.*
3. Hinc differt contractus locati conducti, a *commodato*, *deposito*, *mandato*. §. 2. 3. *J. qu. mod. re contr. obl. L. 1. D. mand.* Merces ipsa ordinarie consistit in numerata pecunia. Inde dicitur, das *Mieths*, *Pacht-Geld*. In locatione vero operarum praeter pecuniam etiam aliae praestari solent res. v. g. *calcei*, *linteum*, *linum*, *frumentum*. Omnia haec definit in *Pomerania. Die Bau- und Schäfer-Ordn. de 1646, T. XI. §. 9. Gesinde- und Tagelöhner-Ordn. de 1706. §. 1723. Tit. III. §. 2.*
4. KOEHL. *Exercit. VII. §. 1619.* HEINECC. *Elem. Jur. Civ. L. III. T. XXV. §. CMXVI.*

§. 3.

Quemadmodum igitur contractus locationis et conductio- nis differentia specifica in concessione usus rei vel operarum pro certo pretio sit constituenda (§. 2.); sequitur inde: omnes res, quae sunt in commercio, (dummodo usu non consumantur, 1. nec locari prohibitaee) et operas quascumque honestas certam admittentes aestimationem, 2. huius negotii esse capaces. In primis autem locationis rerum obiectum sunt praedia urbana vel rustica. Illa dicuntur; quae habitationis, recreationis, commerciorum, aut opificiorum gratia sunt exstructa, atque hisce usibus destinata. 3. Haec sunt: quae inserviunt usui oeconomico et quae habentur ad agros colendos, fructus recondendos atque stabulanda pecora. 4.

1. *L. 3. §. ult. D. commod. L. 44 et 50. D. L. 30. 31. 35. C. loc. cond. Rec. Imp. de 1551. §. 1559.* Dividitur locatio rerum in regularem atque irregularem. Haec, praeter usum rei locatae, si- mul

mul ratione periculi proprietatem eiusdem transfert. *L. 3. D. loc. cond.* Pertinet huc contractus *foridae*, das eiserne Vieh und Fahrniß. BOEHM. in *Diss. de select. quibusd. capit. circa locat. et cond. praed. rust. Cap. 1. §. 9. 10.*

2. h. e. Operae debent esse mercenariae: sie müssen von der Art seyn, daß sie taxiret und zu ein gewisses Geld gesetzt werden können. Artes inde liberales earumque exercitium, quae potius intellectu quam corpore peraguntur, non pertinent ad contractum locati conducti, sed potius ad contractus innominatos. v. g. *honoraria Professorum, Advocatorum, cet. L. 5. §. 2. D. si mens. fals. mod. dix.* SCHILTER. *Exerc. XX. §. 10.*
3. *Inst. §. 1. de Servitut. praed.*
4. Veluti, *horrea, horti oeconomici, etc.* Sequitur inde, discrimen praediorum urbanorum atque rusticorum non esse constituendum in situ vel loco, sed potius in eorundem fine & usu. *L. 1. pr. D. com. praed. L. 198. de V. S. HUB. Praelect. ad Inst. Tit. de Servit. praed. §. 2.*

#### §. 4.

Consensus autem substantiam contractus locationis et conductionis constituens (§. 2.) est vel *expressus*, vel *tacitus*. Ille declaratur verbis, hic factis. 1. Tacitus ab initio ad perfectionem huius contractus sufficiens esse potest, si quando merces pro concessione usus rei et operarum praestanda, aut legibus, aut consuetudine, iam sit definita: veluti, *in operis fabrilibus, mercenariorum atque famulorum.* 2. Quodsi itaque quis famulum vel mercenarium conducat, nulla licet facta mercedis mentione aut promissione; tamen locationis contractus pro perfecto habendus, et illa a lege praescripta merces esset praestanda. Quo non facta, operarum locatori competit actio locati. 3.

1. *L. 2. D. de Pact. L. 21. pr. de legat. III. L. 124. de Reg. Jur.* Differt vero consensus tacitus a consensu praesumpto seu ficto, ut



pote quasi contractibus proprio. KOEHL, *Exercit. VI.* §. 1369.  
*seqq.* HEINECC. l. c. §. 778. not.

2. LEYSER. *Specim. 213. med. 1.* Die Gesinde und Tagelshnerz  
 Ordn. de 1706. et de 1723. Tit. II. III. §. II.
3. Cum autem merces nec lege nec consuetudine sit determinata,  
 actio praescriptis verbis habet locum. §. 1. *J. de locat. L. 22. D.*  
*de praeser. verb.* Praejudicium vid. apud LEYSER. d. *Specim. me-*  
*dit. V.*

§. 5.

Haud fecus sese res habet cum renovatione vel proroga-  
 tione locationis et conductionis contractu. Consistit illa in  
*usu rei vel operarum impleto iam tempore contractus prioris.* Sicuti  
 vero locatio conductio conficitur consensu vel expresso vel ta-  
 cito (§. 4.) ita et eadem ratione illa renovatur atque proroga-  
 tur. Pro expressa habetur renovatio: *cum finito contractu prio-*  
*ri seu pristino novus vel verbis vel scriptis sub iisdem conditionibus at-*  
*que obligandi modis inter locatorem et eundem conductorem conficitur.*  
 Tacito contra absolvitur consensu: *quoties locator operarum vel*  
*conductor rei seu praediorum conductionis tempore finito sciente et pa-*  
*tiente domino operas suas eidem ulterius praestat, vel re conducta non*  
*modico temporis spatio utitur. 1.*

1. L. 13. §. fin. D. loc. cond. L. 16. C. 60d. LAUTERB, *Compend.*  
*Jur. L. XIX.* §. 2. Existimant quidam Doctores, contractum  
 locationis in scriptis celebratum nullam admittere tacitam relo-  
 cationem. CARPZ. P. II. *Const. 37. Def. LX. in fine.* SCHILT.  
*Exercit. XXX.* §. XI. Sed ipse SCHILTERUS restringit hoc  
 ipsum ad casum: quum scriptura non probationis, sed perfectio-  
 nis contractus gratia, fuerit adhibita. Id quod menti contra-  
 hentium magis convenit et in praxi etiam est receptum.  
 STRYCK. U. M. D. L. XIX. T. 2. §. 70. 71. WERNHER. *Obs.*  
*Forens. Tom. I. Obs. XVI.*

§. 6.





## §. 6.

Sicuti vero obiectum contractus locationis et conductionis consistit vel in praestatione operarum, vel in concessione usus rei (§. 2. 3.); ita hinc sequitur, huius contractus renovationem seu prorogationem tacitam esse occupatam cum rebus et operis. In operis exserit sese: Si quando locator operarum, famulus famulave, ante finitum contractum non tempestive domino illum resignet, sed potius eodem iam absoluto operas suas ulterius ipsi praestet. Hoc namque facto, in idem illud tempus, pristino locationis contractui dictum, ut et sub iisdem conditionibus, praesumitur prorogatus atque renovatus. 1. Hinc in Pomerania legibus est sancitum, ut famuli famulaeque intra terminum, ad minimum trium mensium, ante decursum contractus illum expresse non resignantes, in servitio domini manere sint obstricti. 2.

1. L. 13. §. II. L. 14. D. loc. cond. BRUNNEM. in Comment. ad D. L. XIX. T. II. num. 28. seqq. Renovatio enim contractus tacita praesumitur facta secundum formam atque modum contractus prioris expressi. NATT. Conf. 571. num. 4. PARIS. Conf. 23. n. 4. L. 1.

2. Die Gefinde- und Tagelshuer-Ordn. de 1706. et 1723. in verbis: Es soll auch ein Dienstbohte zu rechter Zeit, und etwa zum wenigsten ein viertheil Jahr, nemlich auf Johannis Baptistae, und Weyhachten vorher seinen Dienst zu resigniren schuldig seyn, damit der Herr in Zeiten sich nach anderen Dienstbohten umthun könne; im Fall solches nicht geschiehet, und der Herr ihm nicht gutwillig lassen will, soll er auf die Stelle zu bleiben und zu dienen gehalten seyn.

## §. 6.

Quandoque locatores illi operarum non sunt homines sui iuris, sed adhuc potestati, vel dominorum, vel parentum, vel tutorum auctoritati, subiecti. Illi dicuntur *servi*, seu *homines proprii*: Isti *filii familias*: Hi *minores*, vel *pupilli*. Servorum etiam hodie ea est conditio, ut tamquam portio fundi sint,



sint in proprietate domini, der Grund-Herrschaft. Sequitur hinc, illos absque dominorum consensu nec operas suas alicui locare, nec contractum locationis et conductionis posse renovare. 1. Intuitu filiorum familias atque pupillorum concedunt quidem leges romanae, ut sine parentis et curatorum consensu personas suas alteri possint obligare, atque proinde etiam operas suas locare. 2. Sed tamen secus est in terris Pomeraniae. Constitutum namque lege publica: ut liberis aequae ac pupillis operas suas sine parentum et tutorum consensu locare non liceat. 3. Ex quo prono iam alveo fluit, nec contractum locationis horum consensu initu resig-nandi, nec illum vel expresse vel tacite renovandi, concessam facultatem; sed potius et unum et alterum parentum atque tutorum arbitrio esse relictum. 4.

1. Proinde est constitutum: in der Baur-Ordn. de 1646. T. XI. §. 13. daß keines Bauren Sohn mächtig seyn soll, sich eigenen Gefallens im Dienst zu begeben, es geschehe dann mit Vorwissen und ausdrücklicher Bewilligung seiner Herrschaft. *Illustr. Dnus de BALTHASAR in Dissert. de Origine, Statu et Condit. homin. propr. in Pomeraria. Pars prior. Cap. II. §. 7.* In casu itaque contraventionis competit domino quocumque tempore vindicatio seu actio revocatoria contra operarum conductorem et ipsum servum servamque. MEV. vom Zustand und Abfödrung der Baurrsteute *quaest. 2. num. 2. et 13.*
2. *vid. L. 39. D. de Obl. et Act. L. 57. de Judic. L. 20. D. de Rit. Nupt. L. 101. de V. Obligat. STRYCK. de Caut. Contr. Sect. I. C. II. §. 21. et 28.* Frustra tamen relocatio praedii tacita insciis tutoribus facta adversus pupillos allegatur. WERNH. *Obs. Forens. T. II. P. VIII. Obs. 384.*
3. Das renovirte Patent, wegen der Gesinde-Ordn. de 1723. Tit. III. §. 1. verbis: Bey welchen allen jedoch dieses insonderheit annoch festgestellet ist, daß das minderjährige Gesinde ohne ihrer Eltern oder Vormünder Vorwissen, sich nicht eigen-thümlich



thümlich vermietthen, und da solches gleichwohl geschähe, den-  
noch solchane Vermietzung die Kraft und Bestand nicht haben  
solle, als wenn dieselbe mit Genehmigung der Eltern oder  
Vormünder vorgenommen und bewerkstelliget worden. Se-  
cundum hanc legem etiam est indicatum, a *Judicio Praesefct.*  
*Eldenav. an. 1760. d. 15 Novemb. in causa des Bauern M.*  
*Schulzen contra Frölich vom Kofs.*

4. Eum in modum nuper etiam est decisum a Jud. Eldenav.  
in Sachen der Wittive Pagenkoppen, wider den Kofen Heldt  
zu Wampen: Daß, da in Anleitung der Gesinde- und Tage-  
löhner-Ordnung es der Klägerin, als Mutter, gebühret hätte,  
im Nahmen ihres vermietheten Sohns, dem Beklagten dessen  
Dienst in Zeiten wieder aufzusagen, solches aber nicht von ihr  
geschehen, sondern sie vielmehr ad Protocollum zugestehen müs-  
sen, wie sie dem Beklagten schon im Anfang des Dienst-Jah-  
res ihres Sohnes einigermaßen Hoffnung gemacher, ihm sel-  
bigen noch ein Jahr zu lassen: So könne sie sich nicht entzie-  
hen, diesen ihren Sohn entweder noch ein Jahr im Dienst dem  
Beklagten zu lassen, oder auch in seiner Stelle einen andern ihm  
zu schaffen. *rc. rc.*

§. 8.

Ad renovationem quod attinet tacitam locationis et  
conductionis rerum (§. 2. 3. 6.), distinguunt leges inter  
*praedium urbanum atque rusticum.* In praedio urbano si  
quis finito conductionis tempore in re conducta permanferit,  
renovatio eiusdem eousque tantum facta censetur, *quoad con-*  
*ductor inhabitaverit post primum contractum elapsum seu finitum.* 1.  
Ratio legis haec esse videtur, quod in praediis urbanis, vel  
aedificiis, fructus singulis anni temporibus plerumque sunt uni-  
formes atque aequales. Ad annum igitur tacita renovatio  
contractus conductionis est extendenda, si quando fructus  
praedii urbani non sint uniformes, sed uberores tantum per-  
cipiantur, *v. g. tempore nundinarum, aestivo, vel hiemali.* 2.





1. *L. 13. §. fin. D. locat. cond.*
2. BRUNNEM. in *Comment. ad Dig. L. XIX. T. 2. num. 18 et 19.*

## §. 9.

Quodsi vero in hac vel illa civitate sit moris et consuetudinis, conclavia ad certum locare tempus: veluti *ad annum, vel tres menses*; tunc, nullo in contractu tempore expresso, reductio in annum aut eius quadrantem, ut tempus ibi conducendi solitum atque ordinarium, tacite praesumitur prorogata. 1. Id quod eo magis obtinet tunc, quum certum conductionis tempus in contractu sit definitum: vel, si expresse conventum, ut alter alteri inter certum temporis spatium eidem renunciaret. Non facta namque resignatione, vel conductore in possessione aedium aut conclavis, finito iam contractu, permanente; relocatio ad illud tempus, in conventionem expressum, tacita habetur renovata. 2.

1. Si enim conductori aedium, aut conclavis, ante annum vel eius quadrantem discedere liceat, locatori adimeretur occasio illas alteri denuo locandi. Imo et ipsi conductori quandoque detrimento esse posset, si locatori, eum ante illud tempus expellere, sit permissum. STRYCK. *U. M. D. L. XIX. T. 2. §. 68.*
2. *vid. STRYCK. l. cit. §. 69. 71. 72. BRUNNEM. l. cit. num. 20. 21. 22. SCHILTER. in praxi fori rom. et germ. Exercitat. XXXI. §. XI. WERNH. Obs. Forens. Tom. 1. Obs. XVI. HOPP. ad Inst. L. III. T. XXV. §. 1. BOEHMER. Introd. in Jus Digest. L. XIX. T. 2. §. 5. in fine.* Id quod etiam sententiae *L. 13. §. ult. D. loc. cond.* conveniens esse videtur in verbis: *In urbanis autem praediis alio Jure utimur: ut, pro ut quisque habitaverit, ita et obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductioni comprehensum sit.* Alii tamen aliter istam interpretantur legem. *Conf. MANTICA, de tacitis et ambiguis conventionibus. L. V. T. 15. num. 17.*

CARPZ.



CARPZ. P. II. Const. 37. Df. 9. num. 9. FACION. de locat.  
et conduct. Cap. 64. num. 60. 61.

§. 10.

Aliud circa conductionem praedii rustici (§. 8.) disponunt leges. Huius enim conductor, si post finitum iam contractum, per aliquod tempus, locatore non contradicente, fructus ex fundo perceperit atque mercedem pristinam solverit; ad annum reconductio tacite facta censetur. 1. At, secundum analogiam Juris, et communem Doctorum, etiam omni ex parte in praxi receptam sententiam, illud temporis spatium ad praediorum qualitatem et oeconomiae statum est determinandum atque dimetiendum. Quando enim aequales quotannis fructus ex fundo percipiuntur conducto; seu, wenn das gepachtete Grundstück jährlich gleich und auf einmal vöslig genußet wird: utpote, locato molendino, horto, prato: ultra tunc annum contractus pro prorogato non est habendus. Si vero sint ita comparata praedia, ut quovis tantum triennio, vel quinquennio, omnes inde percipiuntur fructus: veluti: wenn ein Land-Guth oder Ackerwerk, in drey oder fünf Schläge geleyet; tunc in tot annos relocatio praesumitur facta, quo nimirum conductor ante illum annorum decursum terram inaratam, die Brache in allen Schlägen, inferere et fructus inde percipere possit. 2.

1. Inquit namque ULPIANUS in L. 13. §. fin. D. locat. cond.: Quod autem diximus, taciturnitate utriusque partis colonum reconduxisse videri, ita accipiendum est, ut in ipso anno quo tacuerunt, videantur eandem locationem renovasse, non etiam in sequentibus annis: etsi lusitrum forte ab initio fuerat conductioni praeslitum.
2. FRANZK. in Com. ad Dig. L. XIX. T. 2. num. 18. seqq. PET. FACION. Tr. locat. conduct. C. 64. num. 49. BRÜNNEM. ad Dig. L. XIX. T. 2. num. 16. STRYCK. U. M. Tit. loc. cond. §. 73. WERNH. Obs. For. Tom. I. Obs. XVI.





## §. 11.

Cum igitur praediorum rusticorum tacitae reconductiones ad annum legibus sint restrictae, nisi qualitas eorundem aliud exigat (§. 10.); sequitur inde, in eo differre a relocatione praediorum urbanorum: ut in illis, intuitu temporis, nulla contractus habeatur ratio. Hinc, Titio praedium rusticum ad octo annos a Sempronio conducente, eiusdem tacitae reconductionis tempus non ad octo, sed tantummodo ad unum; vel, secundum qualitatem praedii, nach Anzahl der Schläge, ad tres, quatuor, aut quinque annos, foret terminandum. 1. Si vero certum locationis tempus in contractu non sit expressum, sunt qui existimant, in annum tantummodo factam reconductionem videri. 2. Id quod admittimus in praediis, quae eius sunt indolis, ut quotannis aequalis reddant fructus; non in iis, quorum perceptiones ad diversam qualitatem agrorum habent respectum (§. 10.).

1. *L. 17. §. 11. D. loc. cond.*

2. *WERNH. Obs. Forens. Tom. 1. Obs. XVI. num. 3. pag. 16. ibique allegati Doctores.*

## §. 12.

Interdum etiam contingit, ut locationis contractui inferantur clausulae: Daß nach geendigten Pacht-Jahren, wenn man sich wegen einer ferneren Verpachtung nicht vergleichen könnte, ohne alle Einrede und Weigerung, das Gut von dem Conductore abgetreten werden sollte. Vel: Daß Conductor nach Verfließung gedachter Jahres Schaaren, falls Er nicht von neuen accordiren könnte, wenn Er ausgefuttert hat, das Gut quittiret und abziehet. Sed tantum abest, ut istiusmodi clausulae renunciationem vel exclusionem tacitae renovationis involvant, ut potius, accedente usu unius, et patientia alterius partis, eandem pacificentes sibi reservasse videantur. 1. Et, quemadmodum in locationibus operarum renovatio contractus tacita secundum formam et modum prioris praesumitur

tur facta (§. 6. num. 1.): ita et hoc ipsum in locationibus praediorum etiam locum habere oportet. 2.

1. Verba namque contractus sunt strictissimae interpretationis, et ita explicanda, ut minime, quantum potest, a dispositione Juris communis recedatur. *CARPZ. Decis. 251. num. 13. BOEHM. Consult. Tom. II. P. II. Conf. 888. num. 7.* Imo et pacta ad certum casum restricta non sunt ad alium extendenda, praesertim si de favore eius, qui clarius loqui debuisset, agatur. *L. 39. D. de pact. BOEHM. l. cit. Conf. 897. num. 3.* Dissentit *STRYCK. U. M. l. cit. §. 72. in fine.*
2. *L. 13. §. fin. D. loc. cond. L. 16. C. eod. LEYS. Specim. 214. med. 11.*

§. 13.

Omnia illa quae de prima praediorum rusticorum tacita renovatione dicta (§. 10. 11. 12.), etiam ad reiteratam, sive sit secunda, sive tertia, sunt extendenda atque accommodanda. Nulla enim adest ratio diversitatis inter primam, secundam, vel ulteriorem contractus locati conducti prorogationem. 1. In congruum inde esset, intuitu harum quid statuere, unde vel relocator, vel reconductor, qua mercedis praestationem et usum fructuum, detrimentum capere queant. Ex quo sequitur, ut tot annorum numeri, quot in prima reconductione tacita secundum qualitatem praedii leges indulgent conductori, in ulterioribus, seu reiteratis, eidem quoque a locatore sint concedendi. 2. Ne vero istiusmodi reconductiones nimium, et in infinitum quasi, a conductore extendantur; optime sibi consulit locator, si tempestive, et quidem cum initio ultimi reconductionis anni, conductori resignet contractum. 3. Hoc enim facto, conductor, tempore reconductionis finito, cedere tenetur fundo; nec tunc exceptione tacitae contractus renovationis, seu intempestive factae resignationis se potest tueri.

1. Ratio quippe ubi est eadem, dicitur adesse eadem etiam lex non *extensive*, sed *comprehensive*, arg. *L. 2. C. de revoc. donat. L. 19.*



*C. de SS. eccles. Surdus. Decis. 76. num. 8.* Et ubicumque ratio habet locum, ibi etiam lex debet habere locum. *L. 32. D. ad leg. aquil. L. 9. §. 2. de edend. Decius. Conf. 15. num. 2. Conf. 307. n. 6. 8.*

2. Collineant huc verba *L. 13. §. fin. D. loc. cond. Sed et si secundo quoque anno post finitum iustum nihil fuerit contrarium actum, eandem videri locationem in illo anno permansisse: hoc enim ipso, quo tacuerunt, consensisse videntur, et hoc deinceps in unoquoque anno observandum est.* Aliter tamen olim esse responsum ab ordine Ictorum Hallensium, observat. *STRYCK. U. M. l. c. §. 72.*
3. Demigrationis conductorum terminus esse solet *Walpurgis*, seu primus mensis Maji, wenn die Ausfütterung, oder Auswinterung geschehen ist. Id quod adhuc nuperrime ab academia Gryphiswaldensi, ut locatore praedii G, observatum memini. Sed nihilominus illa de re his inter ipsam et conductorem est suborta, cuius decisio a summo iam iam exspectatur iudicio.

Haec sunt, quae de themate isto practico praefari mihi proposui. Ne quoque plane otiosus et laborum academicorum pertaesus, vel eorum immemor, esse videar; notum Vobis facio, Honoratissimi atque Suavissimi Domini Commilitones, me hocce semestri praelectiones in subselliis, tam privatis quam publicis, esse instituturum, et iam inchoatis finem impositurum.

1. Hora IX. in *STRYCKII praxin forensis*; iuncta manu ductione ad elaborandos processus, et ad formandas relationes ex actis.
2. Hora XI. in *Constitutionem Imperatoris Maximil. de an. 1512. de officio Notariorum.*
3. Hora II. in *STRUVII Jurisprudentiam forensis.*

Hisce igitur ut meis lectionibus, Honoratissimi Domini Commilitones, frequenter adesse velit, omni, qua decet, observantia, Vos peto atque enixe rogo.









Greifswald, 8155, 1762-63

ULB Halle

3

005 372 011





Centimetres

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

23

10  
1766,2

218  
P

PROGRAMMA  
QVO  
EMANVEL CHRISTOPH  
VON ESSEN

L. V. D. PROF. REG. ET SYND.

LECTIONES SVAS ACADEMICAS SEMESTRES

INDICIT

ATQVE SIMUL

DE

RENOVATIONE CONTRACTVS  
LOCATIONIS ET CONDVCTIONIS

DISSERIT.

GYYPHIAE

LITTERIS RÖSENIANIS.

